

TERTIO spiritusvini, similiumque potulentorum spirituosorum abusus juxta *Forestum L. XVI. obs. 46. Horstium L. III. de morb. pect. obs. 7. Sydenham. de morb. acut. S. VI. c. 4. & Willis. l. a.* qualis in Peripnevmonia producenda efficaciam confirmat Clericus, ille bene potatus hinc in templo cantans, cujus meminit *Hornung. Cista Medica ep. 275.* ejusdem forsitan, i.e. coagulatorii, generis fuit illud venenum, a quo sumto præter aliorum viscerum pulmonum quoque inflammationem excitatam commemorat *Bonetus l. a. S. VIII. obs. 10.* Faciunt denique QUARTO huc menstruorum & Lochiorum suppressiones, heterogeneitates, circulationem per pulmonum ambitum turbantes, in massa sanguinea cumulando, cujus exempla *Forestus l. a. obs. 32. in Schol. & Bonetus Sepulch. T. I. L. IV. S. I. obs. 3. §. 2. & 6.* promunt: quamvis hæc retenta præternaturalia plethoram quoque inducendo idem præstare possint. Qualibus heterogeneitatibus accensere quadrat illas, quas erysipelatis retrocessu ad Peripnevmoniam usque congestas *Bonetus T. I. L. I. S. 7. obs. 2.* perhibet.

§. 14.

Quod autem primo vere quoque non adeò infrequentes sint Peripnevmonia, imprimis post hyemem frigidiorum, item vehementiora exercitia non rarò hunc affectum pariant: evenire videtur, quod per atmospheram æque calidiorum ac corporis exagitationem immoderatiorem, humores hyeme inspissati aut quivis præter modum exagitentur, ad circulationis usque conturbationem; motus etiam corporis nimius respirationem, hinc quoque sanguinis motum per pulmones turbent, juxta *Riverium l. a.* validiore Exercitio anhelitus magnus & creber efficitur, sicque cum thorace pulmones eò usque defatigentur, ut horum substantia mollis & laxa humorem influentem facilè recipere possit.

B 2

§. 15.